



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Apparatus Doctrinae Sacrae**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

§. 2. Cum Patribus familias.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38464

Proponenda est hæretico paulatim multitudo, novitas, & discrepantia tot Sectarum quæ hoc sæculo emerferunt: & quomodo inter se tam repugnantes sint, ut de nullius veritate constare possit, quod clarè expositum invenies in hujus Operis Tom. 1. pag. 150. 156. 170. & seq.

Et hinc exponet illi obligationem quam quisque habet indagandi viam certam & securam in negotio tanti momenti, qualis est æterna damnatio, si illa inquisitio negligatur. Nec sufficere quod videatur sibi hætenus esse in via recta, monente Scriptura, *Est via quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt in interitum*: à similitudine Viatoris, qui eligit viam minime periculosa: obligationem illam demonstratam reperies in eodem Tomo 1. pag. 28.

Juvabit etiam illi exponere motivum vulgò notissimum propter quod moderni Sectarii in Anglia, Germania, & Belgio Ecclesiam Romanam primò servaverunt, quam eorum Majores de nullo unquam errore accularunt per mille quingentos annos ante libidinem Henrici octavi erga Bolenam, & offensionem Lutheri erga Pontificem, & Principis in Belgio erga Hispanos: adeoque propter libidinem, odium, & offensionem, non propter veritatem ab Ecclesia Romana defecerunt. Tunc perges, propter eorum exemplum, ortum ex solo odio, & libidine, te ipsum in æternum perdes? De hoc vide deducta Tom. 1. pag. 172.

Ponatur ipsi patheticè ante oculos status miserandus in quo versatur modernus Sectarius per ea quæ credit ab omni veritatis specie aliena, in Secta nullum habente testimonium antiquitatis, aut miraculorum, cui adversatur totus pæne orbis Christianus, quod deductum invenies in Idæa miseranda moderni Sectarii Tom. 1. pag. 19.

Quamvis consultum non sit ut cum Hæreticis coram aliis publicè disputetur, quia sic honoris conservandi studio plurima quarunt effugia, quibus imperitis facile imponunt. Si tamen justas ob causas disputandum sit sive publicè, sive privatim, semper observanda sunt sequentia, 1. Curandum est Sacerdoti ut in lectione Evangeliorum, & communium Controversiarum ita versatus sit, ut ex ipso Verbo Dei scripto hæreticus convincatur, cuius sensum admittere debet juxta mentem Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ, juxta Methodum quam supra dedimus in Polemicis Tom. 1. c. 9. & tract. 2. c. 1. pag. 106.

Secundo, In disputando non confidat nimium suæ eruditioni & industria; cum enim sit Fides donum Dei, humanis mediis non obtinebitur. Itaque ante congressum cum hæretico, cum Deo in orationibus commendet, & quasdam afflictiones ac poenitentias pro eodem offerat, sub ipsa etiam concertatione mentem frequenter elevet ad Deum jaculatoriis orationibus, quibus sibi gratiam, & illi lumen exoret & impetret.

3. Nè tempus frustra teratur in disputatione, consultum erit mox ad fundamentalem controversiam venire: ea autem est de notis Ecclesiæ; si enim demonstratur nostra esse vera, necessaria erit sequela, omnia quoque vera esse, quæ ipsa docuit, atque adeò non errare eum, qui sub una solùm specie sumit Eucharistiam, veneratur Sanctos, &c. De quibus singulis in Tom. 1. agitur.

4. Disputantibus hæreticis non danda est libertas vagandi, & ab uno puncto ad aliud transiliendi, sed certa & categorica responsio extorquenda; quæ re si ipsi irritentur, caveat Sacerdos, nè ipse etiam irretur, sed

religiosâ patientiâ & modestâ adstantibus, in bono exemplo, attendat quoque, nè concitate aculeatis verbis insultet, & quasi triumphum canat; hoc enim presentibus, qui plerumque suis compati & favore solent, displicere poterit, & occasionem dare Sacerdotibus Catholicos averfandi ut superbos.

5. Sæpè non oberit urgere hæreticos, & premere quaestionem illam, Unde sciant Biblia, quibus immittitur, & quæ citant, esse verum Verbum Dei, Evangelium S. Matthæi esse scriptum à S. Matthæo, & non ab alio, qui nomen ejus finxerit? sic enim denique deveniendum erit ad Traditionem Ecclesiasticam, adeoque tunc primum ipsorum fundamentum.

7. Cum iis, qui simpliciores sunt, non multum altercandum est, sed potius hortandi sunt, ut perorationem commendent Deo negotium hoc, rogenique, ut veram fidem eis ostendere dignetur; tum si legere possint, libellus aliquis controversiarum simplicis stylo scriptus legendus offerri poterit. Præterea verò luxuria & amica colloquia cum ipsis instituentur, in quibus ostendatur illis discordia inter Hæreticos, & contradictiones ipsiusmet Lutheri & Calvini, &c. Explicabuntur etiam aliquot motiva credibilitatis pro rudi plebe magis accommodata, qualia sunt Martyria tot ac tanta pro Christiana Fide tolerata; tot tamque docti Viri ab Hæresibus nostram Fidem transeuntes; tam mirabiles Conversiones, tam admiranda Miracula in confirmationem Fidei nostræ patrata; &c. Denique est res prima vice ex voto non succedat, non desinat conatum suum cum patientia sapius prosequi, & illorum Conversionem Deo in precibus commendare.

§. II.

Documenta Patribus familias tradenda.

1. Studendum, ut curam habeant institutionis Christianæ, liberos suos, & reliquam etiam familiam mittant ad Catechismum, reduces examinent, & eos, qui meriti sunt, remunerentur aliquo præmiolo, ut illi quoque excitentur.

2. Ut suos servos, ancillas, liberos diligenter diebus festis ad Sacrum & Concionem mittant & ex redeuntibus quarant, quod notaverint, puniant subtracitâ aliquâ recreatione, aliove modo negligentiores.

3. Ut otium domo eliminent, suosque benè occupent, ita tamen, ut tempus pro Sacro, precibusque fundendis concedant; neque existiment per tale otium quidquam decrementi rem domesticam passuram, quin potius certò sibi persuadeant, multum ipsam hoc medio augendam; nam lucrum, quod propter virtutes, religionis maxime, despicitur, per virtutes melius recuperatur. Certè, si pietas, teste D. Paulo Tim. 4. ad omnia utilis est, quidni etiam ad rem domesticam augendam & conservandam?

4. Emendent, & tollant ludos inhonestos, ebrietatem, lasciviam, colloquia prava, juramenta, blasphemias, imprecationes, & contentiones, & similia peccata, deceret certâ poena pecuniariâ, vel abstinentiâ modicâ, qui sæpius horum peccatorum aliquod admisisse deprehensi sunt.

5. Commendet illis lectionem libellorum piorum, recitationem Litaniarum B. V. à collecta familia ante somnum; pauperum amorem; cultum Sanctorum, & B. V. maxime; prosterne, sub motis inhonestis, Imagines pie Christi Crucifixi, B. Virginis, Sanctorum, &c. Hæc lectio etiam sint affixa, ut occasio sit ante cubitum eas venerandi.

Arde
kin

Theo
logia

D. IV
2. 8

6. Suadeat Patribus familias, ut non ipsi modò uni alterive Congregationi (pluribus enim dare non expedit, quia ob domestica negotia satisfacere tot legibus non possunt) dent nomina, sed auctores etiam sint domesticis ad idem faciendum, suisque temporibus eos ad conventus mittant. Ad Confessionem & Communionem, cum leges exigunt, peragendam hortentur.

7. Summoperè illis concordiam mutuam non modò cum uxoribus servandam, sed inter ipsos etiam domesticos procurandam commendet, atque ob id frequenter illis in memoriam revocet tum illam sancti Spiritus sententiam, Prov. 17. *Melior est bucella sicca cum gaudio (& pace) quam domus plena veltimis cum iurgio;* tum tritum illud proverbium: *Concordià res parvacefcent, discordià etiam maxima dilabuntur.* Eundem in finem proderit etiam narrasse sapientissimum illud Sciluri Scytarum Regis factum, qui è vita discessurus, septuaginta, quos habebat filios convocavit, singulisque fasciculum 70. sagittarum colligatarum obtulit, frangereque iussit; quod cum nequiret, singulos singulas sagittas accipere & confringere iussit, quod cum sine labore præstitissent, subjecit: *Ita & vestra potentia, si conjuncta per concordiam manserit, à nemine frangetur aut superabitur; secus, si per discordiam à vobis ipsis divisi fueritis.* Sententiæ & exempla de pace mutua requisita ad conversationem, reperiuntur supra verbo, *Pax*, in Apparatu.

§. III.

Praxis agendi cum Mulieribus, & maximè Conjugatis.

Cum feminis agendum rarò, breviter, cautè, prudenter. Hæc ut servantur, caveatur in Conversando locus obscurus, & ab omni teste nimis secretus: oculi à fixo aspectu, manus à contactu cohibeantur.

Hinc 1. se severum potius, quam familiarem exhibeat; abstineat à blandis verbis carnalem quandam affectum redolentibus. 2. Non facile credat querelis & lachrymis fœminarum; sed potius adhortetur eas ad patientiam; jubeat inquirere, num causam injuriis, verberibusque dederint. 3. Non habeat fidem, si revelationes & devotiones fingant, sed potius ad observationem mandatorum Dei hortetur. Atque hæc circa mulieres in genere observanda sunt, nunc ad specialia magis descendendum est.

Virtutes ergo uxorum quod attinet. 1. Vehementer ipsis commendabit puram intentionem, ut videlicet finem illum, quem conjugata quæque mulier præfigere sibi deberet, obtinere laborent? Is autem finis est, ut marito sint adjumento in filiis generandis, nutriendis, & educandis, & per hoc debitum amorem & obsequium Deo exhibentes salvæ fiant. Hunc finem indicavit Sapiens Proverb. cap. 32. dum dixit de muliere illa provida. *Quæ sivit lanam & linum, &c.* Per lanam enim externa bona & corruptibilia, per linum verò interna & incorruptibilia seu æterna indicantur.

2. Hortetur illas ad insignem vitæ integritatem & verecundiam; hæc enim virtutes sunt vestis illa, quam sapiens mulier sibi fecit, uti Salomon indicavit, dum dixit, *Byssus & purpura indumentum ejus*, ubi per Byssum propter candorem intelligunt Interpretes innocentiam vitæ, per purpuram verò verecundiam propter colorem rubrum. Certè si sic querant regnum Dei & justitiam, omnia reliqua, quæ ad se ac familiam sustentandam sunt necessaria, copiosè adjicientur.

3. Moneat, ut etiam atque etiam imitari studeant jam sæpius commemoratam mulierem sapientem, quæ consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. Ad hujus ergo exemplum orium diligentissimè fugiant, eumque in finem sæpius considerent, quæ tum interiori suæ domui, animæ scilicet; tum exteriori, videlicet familie desint, eaque omnia sollicitè, & optimo, quo possunt modo, procurare studeant.

4. In memoriam illis revocet illam S. Pauli sententiam ad Eph. c. 5. *Sicut Ecclesia subdita est Christo, ita mulieres viris suis in omnibus.* Hortetur itaque illas, ut, sicut Ecclesia triplici potissimum obsequio suum erga Christum amore probat, scilicet reverentiâ, obedientiâ, patientiâ; Ita his ipsis tribus officiis ipsæ quoque suos sibi maritos demereri studeant.

5. Singulariter illis commendet domesticorum, & liberorum maximè curam; horteturque ad exemplum mulieris sapientis, omnes suos domesticos duplicitibus vestiant, id est, ut tam in virtutis, quam in aliarum artium ac munerum, quibus alere postea sese debebunt, studio eos perficiant.

6. Non minùs illis commendet imitationem illius virtutis, quam in muliere Sapiente Salomon laudavit, dum dixit: *Os suum aperuit sapientia, & lex clementia in lingua ejus*, Proverb. ult. Hortetur itaque illas, ut singulari studio taciturnitati studeant, & domesticos mansuetudine potius, quam imperiis duris atque verberibus ad officium perducere studeant: nam mitibus promisit Christus, quod terram, id est, homines suæ curæ commissos possideri sint.

7. Suadeat, ut cum sapiente muliere accingant fortitudine lumbos suos, & robovent brachium suum, ad plurima incommoda, quæ matrimonii jugum secum ex omni parte affert toleranda; alioqui enim & in hoc, & in futuro seculo miserimas futuras.

8. Denique misericordiam erga pauperes specialiter etiam commendet, ut videlicet & ipsæ cum muliere sapiente manum suam aperiant inopi, & palmas suas extendant ad pauperem; sic enim copiosam domui benedictionem obventuram, juxta illud Servatoris promissum: *Dare & dabitur vobis: Mensuram bonam & confertam, & cogitaram, & superfluentem dabunt in sinum vestrum*, Luca 6. Has profecto virtutes si comparare studerint uxores, verificatur de illis, quod Salomon de muliere sapiente narrat: *Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt; vir ejus & laudavit eam: dare ei de fructu manuum suarum & laudent eam in portu Operis ejus*, Prov. cap. ult.

Tentationes Conjugatarum ad tria ferè genera revocantur. Primum, & gravissimum ferè est, quod ex maritorum vel severitate, vel violentia, vel negligentia, alique vitii nascitur. Contra hanc tentationem sic eas munit, & 1. suadeat, ut pro maritis suis assiduo Deum, in cujus manu sunt corda hominum, precetur, imitatz prudentem Abigail, quæ marito suo iratum David placavit. 2. Suadeat, ut non in quotidianis duntaxat obsequiis valde diligentes sint, sed extraordinaria charitatis officia erga illos ostendant, v. g. cibos illis gratos præparent, dicantque se speciali affectu erga maritum illos præparasse, omnia verò mandata promptissimè exequantur, &c. sic enim amor maritorum erga ipsas crelect, & suo tempore occasio dabitur, id quod volent, impetrandi, ut in Esthere patet.

3. Suadeat, ut dum maritus ebrius aut iratus est, taceant: imò etiam postero die ab ipso veniam precentur,

non